

exemplari  $\delta$ , alterum cum hyparchetypo  $\gamma$  faciebat; attamen in *En.* 141 textus  $\varepsilon$  cum *C* (e. g. *En.* 141,7,29 caritatis in me omnis *add. \varepsilon C*), magis quam cum ceteris exemplaribus familiae  $\gamma$  cohaeret. Textus autem  $\zeta$  (*P*<sub>6</sub> *T*), plerumque recensionem  $\varepsilon$  obnoxius, variorum exemplarium lectionibus permixtus est. Quod totum paucis nunc exemplis probemus:

141,7,29 caritatis] in me omnis *add. \varepsilon C*; 142,5,27 non ... fide  $\varepsilon \gamma_1 \zeta Y D$ ; *om. cett. ma*; 143,2,43 signum] sanguinem  $\varepsilon Y$ ; 143,3,15 spiritus] radix est unitatis *add. \varepsilon \zeta C\_1^2*; 143,11,23 cognoscenti *om. \varepsilon*; 144,1,14 suo] sancto  $\delta \varepsilon$ ; 144,13,19 tua<sup>2</sup>] sed talis quales laudent opera tua *add. \varepsilon*; 145,9,8 novo] nobis  $\varepsilon \gamma_1 \zeta Y ma$ ; 145,15,5 veritatem<sup>2</sup>] in aeternum quam *add. \delta \varepsilon P\_{23} Y S\_{01} X P\_6 ma*; 146,4,22 interpretationem] si *praem. \varepsilon \gamma\_1 \zeta P\_{23} Y ma*; 147,13,11 miseretur] non *praem. \varepsilon \gamma\_1 P\_{23} Y T*; 147,22,11 mittit] verbum eius quomodo aut quod est *add. \delta \varepsilon*; 148,9,39 absit] abyssi  $\delta \varepsilon$ ; 148,15,2 eius] super caelum et terram *add. \varepsilon \gamma\_1 P\_{23} P\_6*; 149,15,59 solutus ... quae-sieris *om. \delta \varepsilon*; 150,1,6 quindenarius] quia denarius  $\varepsilon \gamma_1 \zeta$

Idem ille librarius, qui textum  $\varepsilon$  construebat modo unius exemplaris modo alterius lectionem seligendo, interdum alteram altera composuit ut ex utraque unam conflaret, ut probant exempla sequentia:

141,3,2 quid est in conspectu eius ubi videt] ubi videt quid est in conspectu eius *tr. \pi Y*; ubi videt quid est in conspectu eius ubi videt  $\varepsilon$ ; 145,15,18 iniuriam passos] iniuriosos  $\gamma_1 X$ ; iniuriosos passus  $\varepsilon T, P_6$  (in. passos); 149,1,2 ei] et  $\pi$ ; ei et  $\varepsilon$ ; 149,12,47 et] etiam *C\_1 P\_7 ma*; etiam et  $\varepsilon S_{01} \zeta P_{23}$ .

### De huius editionis ratione

Generatim ratio huius editionis nihil differt ab illa quae praefuit duobus superioribus voluminibus (CSEL XCV/3 et 4); nec dispar hic est archetypi  $\omega$  bona fides, quam tunc laudavi-

mus<sup>25</sup>. Nam et hic, sicuti tunc, raro lectionem  $\omega$  emendam iudicavimus<sup>26</sup>.

Speciatim vero pauca subicimus. Codices  $K P_4 P_5 C C_1 P_7 S o_1$ , de quibus supra locuti sumus, ex uno eodemque hyparchetypo  $\gamma$ , qui totam decadem habuerit, manasse veri simile est, sed cum ex his plerique sint contaminatione plus minusve inquinati, lectionem  $\gamma$  restituere certius potuimus tantummodo ex testibus  $\gamma_1$  ( $C_1 P_7 S o_1$ ) et  $\varepsilon$  ( $N A n_4$ ) inter se congruentibus; at *Enarrationis* 141 lectio  $\gamma$  rarius patuit. Textus autem  $\lambda$  facilius restitui potuit, eadem *En.* 141 excepta.

Lectiones quamquam singulares codicis *U* et libri rescripti  $f_3$  magnae eorum auctoritatis ratione in apparatu semper dedimus. Editionis monachorum S. Mauri (Parisiis 1681) varias lectiones meminimus; at *Patrologiae Latinae* et *Corporis Christianorum* ibi tantum mentionem fecimus ubi ab editione Maurina discrepant; editionis vero Lovaniensis (Antwerpiae 1577) eas proprias lectiones, vel potius emendationes attulimus quae a Maurinis receptae sunt.

In apparatu testimoniorum locos *Enarrationum* a veteribus scriptoribus vel excerptos vel utcumque usurpatos indicavimus, prout nonnulli ponderis eorum testimonium adnotationis dignum aestimavimus: lectiones scilicet Prosperi Aquitani *Sententiarum*<sup>27</sup>, Caesarii Arelatensis<sup>28</sup>, Bedae Venerabilis<sup>29</sup>, et anonymi

<sup>25</sup> Cf. CSEL XCV/3, p. 32.

<sup>26</sup> Emendationes nostrae: 141,11,32 *<non>*; 142,10,16 *salvi*<sup>2</sup> seclisit Weidmann; 143,6,56 *praesis* Weidmann; 143,17,26 *tunc*; 143,18,62 *<si>* Simonetti; 144,17,16 *infidelis*; 144,19,32 *<qui>*; 147,2,36 *tantum* Primmer; 147,4,38 *diem*; 147,23,2 *<et>*; 147,23,4 *<non>*; 147,24,32 *ipsa*; 148,12,10 *sed*; 148,15,18 *infra*; 149,6,14 *mundum mundam*.

<sup>27</sup> *Prosp. sent.*, cc 68A: *En.* 142,16,27sq.; 144,8,14; 15–17; 11,50; 22,28; 145,5,32–36; 42sq.; 17,34–36; 146,2,6–9; 20,15–17; 147,3,8sq.; 10,7sq.; 12,14–16; 148,2,12–15; 149,1,4.

<sup>28</sup> *Caes. Ar. serm.* 206, cc 104, p. 824sq.: *En.* 148,1,28–2,30.

<sup>29</sup> *Beda orth.*, cc 123A, p. 38, 775sq.: *En.* 150,7,6sq.

cuiusdam<sup>30</sup>. In eiusdem autem Prosperi *Expositione Psalmorum a centesimo usque ad centesimum quinquagesimum* perpauca quae in apparatu lectionum laudaremus invenimus. Flori Lugdunensis *Excerpta ex Augustino* (videlicet ex *En.* 141–150), quae recensuimus ad fidem codicis Trecensis (Troyes, Bibl. mun. 96, saec. IX in.) et Andegavensis (Angers, Bibl. mun., 65 et 66, saec. IX), cum de hyparchetypo  $\pi$  pendeant, parvi fecimus, nec inter testimonia huius editionis recepimus.

Postremo praeterire non possumus quin hic quoque gratias agamus Manlio Simonetti, Victorino Grossi, Angelo De Nicola, qui nobis auxilio consilioque fuerunt, dein Vindobonensibus Adolpho Primmer, Hildegund Müller et Clementi Weidmann, qui acri ingenio magnoque labore huic volumini emendando et perficiendo opem non parvam tulerunt.

---

<sup>30</sup> Ps. Aug. *serm.* 10 (*mi* 46, 843–846): *En.* 148,8,17–27; 29–43; 149,1,1–9; 4,7–15; 19–30; 5,4–15.